



\* \* \*

Diuius quidem a Cicerone appellatur Plato, qui tamen hominem se esse, et humani nihil a se alienum, et factis et opinionibus multis comprobauit. Profecto perquam humane sensit, dum omne, quod intellectu percipitur, aut scientiam esse dixit, aut opinionem, <sup>1</sup> ob eamque causam de multis rebus in vita humana dubitari debere statuit. Quo factum est, ut in libris suis veram sententiam suam aut raro aut nunquam prodiderit, nihil affirmauerit, sed dialogis omnia inuoluerit, in quibus alii Philosophi loquentes fiunt, ac de Philosophia inter se in utramque partem differentes, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur. Hanc tamen philosophandi rationem discipuli eius, academiae mediae ac nouae conditores, Arcesilas atque Carneades, ulterius progressi, eo tandem deduxerunt, ut omnino quicquam in rebus humanis sciri ac percipi posse negarent, et prorsus ἀκαταληξίαν sensuum defenderent. <sup>2</sup> Hinc dogmata seu decreta proposuerunt nulla, sed quasi desperata cognitione certi, assensum in omnibus sustinuerunt. Quocirca, cum, quid sibi ipsis videatur, docere debuissent, in oppugnandis solum aliorum Philosophorum placitis, maxime Stoicorum, aetatem et orationem consumserunt, et, utro citroque de rebus propositis disputando, omnia opinionibus teneri, summaque incertitudine inuolui, ostenderunt. Horum autem academicorum morem, quamuis iniuriam esse arbitrer in humani intellectus rationem, qua immortalis Dei beneficio nullum maius, nullum praestabilius donum hominum naturae concessum est, et quamuis nimiam de omnibus dubitandi libidinem aut ex quadam intellectus imbecillitate, aut summa verum legitime inquirendi pigritia oriri credam,

A 2

dam,

1) Vid. Bruckers historia philosophica Tom. I. lib. VI. §. 13.

2) Cicero academic, quaestion, Lib. I, c. §. 12.